



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



DISPUTATIO DECIMAQUINTA
In Augustanam Confessionem,

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI III.

De

MERITO ET SA-
TISFACTIONE
CHRISTI,

Proposita

In Electorali Academiâ wittebergenfi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Prof. Primario, Facult. Theol. Seniore,
Templi Arcis Præposito, ac p.t.

Academiæ Rectore,

R E S P O N D E N T E

M. ANDREA RITHVVAGERO

Schlib. Sax. Alumno Electorali.

Habebitur in Auditorio Collegii veteris

ad diem 19. Aprilis.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.

DISPUTATIO DECIMAOQUINTA
In Augustanam Confessionem
CONSIDENS
ARTIBUS IN ARITHMETICA III
DE
MERTIO ET SA-
TISTEACIONE
CHRISTIA
In Elegorsh Academiis witerbergens
P R A E S I D A
JACOBO MARTINI SS. TH.
D. & Prof. Primario, Acad. Theol. Seniore,
Templi Aetis Praeposito, ac p. c.
Academiae Regior.
M. ANDREA RITHVAGERO
Schilp 2am Auctore Elegorsh
Habebat in Academiae Collegio veteris
ad die 19 Aprilis
WITTEBERGAE
Typis Heredum SALOMONIS AVERBACH
Anno M DC XXIX





Continuatio.

HActenus egimus de naturâ meriti Christi, an actiones Christi, in quibus meritum illud consistit, proindeq; ipsum meritum, fuerint infiniti valoris & efficaciam? Sequitur nunc porro, ut, ductum Becani sequentes, adhuc duo investigemus: Primum, quid & quibus revera Christus meruerit; secundo qualis fuerit satisfactio Christi. De prioribus movet adhuc Becanus decem quæstiones, de posteriore unam.

T H E S E S

PRioris classis quæstiones subdividuntur in illas, quibus quæritur, *quid sibi*: & in cæteras, quibus quæritur, *quid alius* meruerit Christus.

I. Prioribus ergo quærit Becanus hæc quatuor: 1. *An Christus sibi meruerit gloriam corporis & exaltationem nominis?* 2. *Unionem hypostaticam?* 3. *Beatitudinem seu visionem beatificam?* 4. *Gratiam habitualem?*

III. Ad primam respondet in tractatione quæstionis, quæ ipsi in ordine tertia est, affirmativè, ejusmodi formans conclusionem §. 2. *Christus meruit sibi gloriam corporis, exaltationem nominis, & alia multa, quæ ei data sunt post passionem.* Hancq; explicat §. 5. inquit, *Christum, suppositâ jam incarnatione, voluntariam mortem suscepisse, ut sibi, tanquam homini, aliquid novi acquireret per meritum, nempe ut acquireret sibi gloriam corporis, & exaltationem nominis.*

IV. Hanc verò conclusionem cum explicatione & declaratione suâ falsam esse, sic demonstramus: Quodcunq; habet

Christus ex incarnatione, illud non habet ex aliquo merito: Ar-
qui gloriam corporis & exaltationem nominis habet Christus ex
incarnatione: Ergo gloriam corporis & exaltationem nominis
non habet ex aliquo merito.

V. Major est certa & conceditur ab ipso Becano §. 8. Mi-
norem probamus. Nam gloria carnis Christi & nominis exaltatio,
in eo est, quod est supra omnem humanam conditionem elevata ca-
ro illa in personam & consortium Sacrosanctæ Trinitatis, pro-
indeq; ipse Deus factus est homo *Johan. 1. v. 14.* Filius Mariæ est fi-
lius altissimi & ipsius Dei *Luc. 1. v. 32. & 35.* homoq; ille filius Ma-
riæ est Rex in æternum, *Ibid. v. 33.* & unctus Spiritu sancto sine
mensura *Johan. 3. v. 34.* in quo sunt omnes thesauri sapientiæ divi-
næ absconditi, *ad Coloss. 2. v. 3.* & in quo habitat omnis plenitudo
Deitatis corporaliter *ibid. v. 9.* Quæ sanè vera est gloria corporis
Christi & exaltatio nominis ejus.

VI. Verùm distinguit Bellarminus §. 8. Inter rem & rei
manifestationem. Illam concedit habuisse Christum Vi nativi-
tatis; hanc verò potuisse mereri. Sic enim quæst. 5. Becanus
concludit: *Reliqua tria (nempe ut esset caput angelorum, ut potiretur
summo Dei imperio, ut in eo resideret majestas Dei) non meruit, sed ex vi
incarnationis illi concessa sunt. Nam vi incarnationis factum est, ut homo
esset Deus, ac proinde ut esset caput angelorum & summo Dei imperio poti-
retur & in eo resideret majestas Dei. Potuit tamen mereri externam mani-
festationem horum omnium.*

VII. Verùm Magnus hic Jesuita non recordatus est re-
gulæ Logicorum: *A posse ad esse non valere Consequentiam.* Hic enim
non quæstio est, quid fieri potuerit, sed quid factum fuerit. Non
enim in ejusmodi mysteriis statim necessario id factum esse cre-
dendum est, quod nostra ratio imaginatur sibi fieri potuisse. Deus
absolutâ suâ potestate, sine interveniente *λύτρω* Christi, genus
humanum potuisset recipere in gratiam: Num verò ab illo pos-
se, est argumentandum ad esse? Nequaquam. Sic etiam conclu-
dat Becanus suum posse, sed non cogat nos credere id ita à Chri-
sto factum esse.

Imò

II X. Imò id ita factum esse ipsa ratio absurdum judicat. Quomodo enim is, qui in se habet majestatem divinam reverà, hoc est communicativè, non potuit, quando voluit, illam manifestare, nisi prius manifestationem illam aliquà exinanitione mereatur? Sic argumentamur. Qui vi incarnationis est factus Deus, caput angelorum, summo Dei imperio potitus, & in se residentem habet majestatem Dei veram; ille vi incarnationis plenarià Dei majestatem accepit: Atqui Christus homo vi incarnationis est factus Deus, caput angelorum, summo Dei imperio potitus & in se residentem habet majestatem Dei: Ergo Christus homo vi incarnationis plenariam Dei majestatem accepit. Major est immotæ veritatis & per se certa. Majestas enim Dei, ut Deus ipse, est indivisibilis, quando ergo datur, tota datur: Minor est ipsius Becani, & fundatur dictis modo allatis. Ergo conclusio certa & firma est.

IX. Quare porrò sic progredimur: Qui vi incarnationis plenariam Dei majestatem accepit, ille etiam accepit illam libertatem, ut eà possit pro libera voluntate & beneplacito suo plenariè uti, quando velit, & eà non plenariè uti quando velit. Atqui Christus homo vi incarnationis plenariam Dei majestatem accepit: Ergo Christus homo vi incarnationis etiam illam potestatem accepit, ut illà possit pro libera sua voluntate ac beneplacito plenariè uti, eamque sic manifestare totam, quando velit, & non plenariè uti quando velit.

X. Rursus, Qui in sua potestate habet acceptam divinam majestatem, ut ea possit plenariè uti & non uti, pro ut placet; ille eo tempore, quo ob certas causas à plenario ejus usu & manifestatione abstinet, non primùm per actus aliquos singulares usum illum plenarium ac manifestationem tenetur mereri: Atqui Christus homo in sua potestate habet acceptam divinam majestatem, ut ea possit plenariè uti vel non uti: Ergo Christus homo eo tempore, quo ob certas causas à plenario usu & manifestatione Majestatis divinæ abstinet, non primùm per actus singulares usum illum plenarium & manifestationem tenetur mereri.

XI. Major certa est: Quomodo enim quis usum & manifestationem & exercitium majesticum, quod in manu sua habet, dici possit, quando ob certas causas liberè non exercet, mereri debere? Est contradictio in adjecto. Quod enim habemus & nostrum est, id tum, quando habemus & nostrum est, non tenemur mereri; & quod mereri tenemur, id quando mereri tenemur, nondum est nostrum. Minor constat ex præcedentibus Syllogismis, & porro probatur illo *Phil. 2. vers. 5. 6. 7.* *Is sit affectus in vobis, qui fuit in Christo Iesu: qui cum esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo: sed semetipsum exinanivit formâ servi sumtâ similis hominibus factus, & habitu compertus ut homo; ipse se submisit &c.*

XII. Admonet igitur Apostolus Philippenses & nos omnes ad humilitatem & modestiam in omni vita & conversatione exercendam, proponitq; nobis & commendat exemplum illud magnum prorsus admirandæ, & non hominibus tantum, sed & angelis cælorum suspiciendæ humilitatis Domini nostri Iesu Christi. Unde sic argumentamur:

Quicumque per nativitatem fuit in forma Dei, & sic in summâ maiestate divinâ, non verò rapinam sibi duxit parem esse cum Deo, hoc est, exercere & manifestare illam suam Majestatem; sed semetipsum sponte suâ ac liberè exinanivit servi formâ assumptâ; non ut sibi plenariam usurpationem & manifestationem illius suæ Majestatis mereretur, sed ut nos à morte æterna liberaret, simulque se ad summam infinitamq; Majestatem & gloriam evedum omnibus Christianis summæ ac veræ humilitatis exemplum exhiberet, ille potuisset se in illa summa Majestate conservare, eamque plenariè exercere, si voluisset, nec opus habuisset, ut per ejusmodi exinanitionem demum exercitium & manifestationem illius Majestatis mereretur: Atqui Christus homo per nativitatem fuit in forma Dei, & sic in summa Majestate divina, non verò rapinam sibi duxit parem esse cum Deo, hoc est, exercere & manifestare illam suam Majestatem, sed semetipsum sponte suâ ac liberè exinanivit, assumptâ servi formâ, non ut sibi plenariam usurpationem

tionem & manifestationem illius Majestatis mereretur : sed ut nos à morte aeterna liberaret , simulque omnibus Christianis summæ ac veræ humilitatis exemplum præberet : Ergo Christus homo potuisset se in illâ summâ Majestate conservare , eamque plenariè exercere , si voluisset , nec opus habuisset ut per ejusmodi exinanitionem demum exercitium & manifestationem Majestatis illius mereretur.

XIII. Deinde ita argumentamur : Quod Christus in ipso exinanitionis statu habuit , illud non per illum debuit mereri : Atqui Christus homo in statu exinanitionis habuit potestatem actu suam divinam Majestatem exercendi & manifestandi : Ergo Christus homo per statum exinanitionis non debuit primum illam potestatem mereri. Major est certa , & in præcedentibus probata. Minor constat ex Johan. 2. vers. 11. *Hoc principium signorum fecit Iesus in Cana Galilee , ut MANIFESTARET GLORIAM suam , & crediderunt in eum discipuli eius.*

XIV. Tertiò sic argumentamur : Ex quo Christus homo habet id , quod majus est , nempe ipsam essentiam Majestatis divinæ ; ex eo quoque habet id , quod minus est , nempe exercere & manifestare posse illam majestatem : Atqui Christus homo (fatente ipso Becano) habet ex incarnatione id , quod majus est , nempe ipsam essentiam Majestatis divinæ ; Ergo etiam ex illâ habet quod minus est , nempe exercere & manifestare posse illam Majestatem.

XV. Quarto : Sine quo Majestas divina non est Majestas divina ; sine eo , illam per incarnationem accipere non potuit Christus homo : Atqui sine potestate exercendi & manifestandi Majestas divina non est Majestas divina : Ergo sine potestate exercendi eam & manifestandi per incarnationem accipere non potuit Christus homo. Major est certa. Minor probatur. Nam Majestas divina sine potestate exercendi est imperfecta : At Majestatem divinam imperfectam dare est dare Majestatem divinam , quæ non est Majestas divina.

XVI. Adde & hoc, quod majestas divina sit omnipotestas. Hinc ita argumentor: Qui accepit per incarnationem majestatem divinam, quæ est omnipotestas; ille accepit ejusmodi Majestatem, quæ omnia potest: At Christus homo per incarnationem accepit Majestatem divinam, quæ est omnipotestas: Ergo Christus homo per incarnationem accepit ejusmodi Majestatem, quæ omnia potest.

XVII. Hinc subsumo: Qui per incarnationem accepit Majestatem, quæ omnia potest; ille accepit ejusmodi Majestatem, quæ se, quando vult, exercere & manifestare potest: At Christus homo per incarnationem accepit Majestatem, quæ omnia potest: Ergo etiam accepit talem, quæ se, quando vult, exercere & manifestare potest, nec opus est: ut illam demum per exinanitionis statum mereatur.

XIIX. Hæc licet sint certissima firmissimaq; conatur nihilominus Becanus suam probare opinionem ex sacra scriptura. Et, inquit, aperte colligitur ex scriptura Phil. 2, 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit ipsum, & donavit illi nomen, quod est supra omne nomen.* Et Hebr. 2, 9. *Vides, Jesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Vbi particula *Propter* significat causam meritoriam.

XIX. Verum quis credet Becano sine ratione & scriptura, statuenti & contendenti in utroque dicto particulam, *diò quapropter*, causam meritoriam significare. Cum particula hæc vix uno atque altero in loco in ista significatione reperiat, ubi interim infinitis in dictis usurpetur, ratiocinationem quidem, ut & causam significans, sed nequaquam causam meritoriam. Videatur Rom. 13. v. 5. cap. 15. v. 6. 7. 12. 1. Cor. 12. v. 3. 2. Cor. 2. v. 8. cap. 4. vers. 13. & 16. cap. 6. vers. 17. cap. 12. vers. 10. Ephes. 2. v. 11. cap. 3. v. 13. cap. 4. v. 24. cap. 5. v. 14. Theß. 2. v. 18. cap. 3. v. 1. cap. 5. v. 11. Philem. v. 8. Hebr. 3. v. 7. cap. 6. v. 1. c. 10. v. 5. c. 11. v. 12. 16. & infinitis aliis.

XX. Sic quis dicet in *Psal. 45. v. 8. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem*: propterea unxit te, o Deus, Deus tuus oleo letitiae præ consortibus tuis: quis, inquam, dicet in dicto hoc illud *propterea, vel quapropter*, significare causam meritoriam? Cum unctio illa istam Justitiæ dilectionem præcesserit: imò potius causa dilectionis illius, quàm hæc unctiois causa existat.

XXI. Quare etiam hic nullam causam meritoriam quis sibi imaginari debet vel potest: cum potestas vocis id minimè urgeat, vel cogat, neque ipsa res, nempe conditio personæ Christi & humanæ naturæ, in illa supra omnem naturalem conditionem in cōsortium Sacro sanctæ Trinitatis, & sic ad summū honorem, dignitatem & Majestatem planè divinam evectæ & translata, illud admittat.

XXII. Sensus ergo hic est: Quia Christus eo ipso momento (incarnationis nimirum) quo Majestatem illam accepit, quoad plenarium ejus usum, secundum humanam naturam seipsum ἐκένωσε & exinanivit usque ad mortem crucis: Propterea hunc humiliationis sive exinanitionis statum, per actō Redemtionis opere, excipere debuit summa illa & ineffabilis exaltationis gloria, in quam Christum jam passum intrare oportuit, *LUC. 24. v. 26.* Non quod illam demum passione & morte sua meruerit; sed quod ipsi Christo propter unionem hypostaticam, & sic statim à primo incarnationis momento debuerit. Atque hanc ob causam etiam Christus apud Lucam loc. alleg. emphaticè dicit: *quod ipsum oportuerit ingredi in gloriam SVAM*, tanquam sibi antea, etiam sine interveniente hac passione ac morte, debitam & competentem.

XXIII. Nequaquam igitur particula *diò* vel *quapropter* significat causam meritoriam, sed tantum necessitatem consequentiæ. Quod exinanitionis hujus statum necessariò, nimirum propter incarnationem & vi decreti divini exaltatio illa sequi debuerit.

XXIV. Progreditur §. 3. *Becanus*: *Hanc gloriam & exaltationem petiverat à patre Johan. 12. vers. 28. cum dixit: Pater*
B clari

clarifica nomen tuum, nempe in me. Et pater promiserat illam ibidem : *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Et post pauca : *Quam promissionem postea exegit à Patre Johan. 17. v. 1. Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* &c. Addit horum verborum exegetin Becanus, & quando hæc clarificatio facta fuerit.

XXV. Verùm quærimus à Becano, qualis sit consequentia : Filius petiit à patre clarificationem, & pater etiam eam præstitit : Ergo petitio illa fuit meritoria : Vel Christus illam clarificationem meruit. Nulla sane. Nam etiam petere possum, & multis etiam precibus sæpius obtinere cogimur id, quod suâ naturâ nostrum est, & nobis debetur : quodque potissimum contingit tum, quando in humiliori statu constituti, & cum potentioribus nobis res est.

XXVI. Porrò §. 4. dicit Becanus : *Eodem spectat illud, quod sequitur apud Johannem cap. 17. v. 4. Ego clarificavi te super terram ; opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam : Et nunc clarifica me, tu Pater, apud te met ipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te.* Sensus est, addit Jesuita, *Ego clarificavi te, id est, nomen & gloriam tuam hominibus manifestavi : Et ideo quasi mercedis loco à te peto, ut me vicissim clarifices post mortem ; quod fiet, si eam claritatem, quam secundum divinitatem ab æterno habui, dederis etiam mihi secundum humanitatem. Si, quemadmodum ab æterno sedet ad dextram tuam, ut Deus ; ita post ascensionem, sedeam ad dextram, ut homo.*

XXVII. Responsio est plana. Omnia se benè haberent, si Christi verba hæc essent : *Et ideo, quasi mercedis loco à te peto, ut me vicissim clarifices.* Jam verò non sunt verba Christi, sed Jesuitæ Becani, quæ quidem exegetis loco adducuntur, sed tantùm abest, ut illa Christi verba explicent, ut pessimè depravent.

vent. Imò convictus in conscientia Becanus clarificationem illam, quam Christus petit à patre, non audet expressè & simpliciter meritum appellare, sed tantùm aliquid, quod sit quasi meritum, quod rationem meriti quodammodo habeat. Verum quod aliqua ex parte cum meriti natura congruit, proindeque æquivocè meritum nonnullis dicitur, in rei veritate statim meritum non est.

XXVIII. Deinde ad summam divinam gloriam elevata fuit humanitas Christi per ipsam unionem hypostaticam, quippe quæ in primo statim conceptionis momento universâ plenitudine divinæ Majestatis, verè ac realiter inuncta erat, ita ut jam tū πάντων ἰσχυρὰ τῆς θεότητος in ea habitaret σωματικῶς: tamen ut opus redemptionis perficere, pati & mori posset, ideo, (non quod illam non habuerit, sed mereri debuerit) liberrimè usum ejusdem Majestatis plenarium, sicque ejus manifestationem secundum humanitatem evacuavit. Quomodo ergo usus ille plenarius, in quo consistit manifestatio illa, de qua disputat Jesuita, potuit esse meritum passionis Christi?

XXIX. Ultimò & hoc negligendum non est, quod hîc concedat Bellarminus, *Christum secundum humanam naturam accepisse illam claritatem, quam habuit secundum Deitatem ab æterno.* Verum hæc claritas nihil aliud est, quàm æterna Dei essentialis Majestas. Quandoquidem omne, quod in Deo fuit ab æterno, vel essentielle vel personale est. Ergo ut illam habuit λόγος per æternam generationem, sic eandem habebit humanitas Christi per unionem & exaltationem ad dextram Dei in tempore factam. Quomodo autem hoc statuere & simul negare communicationem idiomatum sine pessima contradictione possit Jesuita; ipse viderit.

XXX. Tandem & illud intactum relinquere non possumus, quod §. ultimo Becanus statuat & concedat, *vi unionis factum esse, ut homo esset Deus, ac proinde ut esset caput angelorum, & summo Dei imperio potiatur, & in eo resideret Majestas Dei; proindeque hæc non meruisse: meruisse tamen ut esset Judex mundi.*

XXXI. Sic argumentamur : Quicumque non merito sed vi unionis habet, ut sit Rex & potiatur imperio Dei, ille etiam non merito, sed vi unionis habet, ut sit Judex mundi : Atqui Christus homo non merito sed vi unionis habet, ut sit Rex & potiatur imperio Dei : Ergo Christus homo non merito, sed vi unionis habet, ut sit judex mundi. Major est certa. Nam Regis est, & ad regiam potestatem, & ad imperium Dei pertinet, regere, proindeque judicare mundum. Quid enim est Rex, qui non regit? quid Imperator sine exercitio Justitiæ, ad quod judicare subditos pertinet? Minor est ipsius Becani. Ergo necesse est, ut concedat conclusionem, sibiq; contradicat.

XXXII. Excipit Becanus ibidem : *Meruit, inquit, ut esset Judex mundi; quia si potuit mereri, ut mundus reconciliaretur Deo, potuit etiam mereri, ut ipse mundum judicaret.*

XXXIII. Respondemus. 1. Becanum rursus vitiosè argumentari à posse ad esse, à potentia ad actum. 2. Nulla rursus consequentia est, si meruit reconciliationem hominum cum Deo : Ergo meruit quoque, ut judicet mundum. Nam ibi meritum necessariò requirebatur : hîc sufficiebat Majestas & dignitas Regia, quam Christus secundum humanam naturam acquisivit non vi alicujus meriti; sed tantùm vi Incarnationis, quod concedit Becanus.

XXXIV. Secunda quæstio, quæ apud Becanum in ordine sexta est : *An Christus meruerit sibi unionem hypostaticam?* Quæ verò otiosa otiosorum & malè feriatorum hominum est : Cujus negativa tota cum vera sit, & contra Suarez à Becano defendatur; nos illam examinare, operæ pretium non esse arbitramur.

XXXV. Tertia quæstio, quæ apud Becanum septima est : *An Christus meruerit sibi beatitudinem seu visionem beatificam?* Circa quam initio consensus Pontificiorum, quem ubique magno clamore urgent, hoc est, maximus dissensus est notandus. Primum enim dicit Becanus §. 1. *esse qui quæstionem hanc affirmant, ut Altisiodorensis, Albertus, Major, Bassolis apud Vasquez disput. 78. cap. 1.* Deinde addit §. 2. *esse etiam, qui eandem negant : illosq; rursus divisos.*

vifos esse. *Alios enim putare, Christum neque meruisse suam beatitudinem, nec mereri potuisse, posito, quod eam habuerit ab instanti conceptionis, sicut revera habuit: defendereq; hanc partem Thomistas: Deinde alios statuere, Christum non quidem meruisse, sed tamen mereri potuisse; arque in hac sententia esse Bonaventuram, Richardum Paludanum, & alios apud Suarez disp. 40. sect. 2.* Hac ipsa ergo dissensione, quæ sane non levis est, gloriatio Pontificiorum de consensu in doctrina perpetuo, se ipsam confellit.

XXXVI. Rem ipsam quod attinet, neque de hac questione multum sumus solliciti, nempe ut à Becano disputatur. Hoc certum est. Quod Christo datum est in instanti conceptionis & per illam, illud non datum est per modum præmii: Atqui beatitudo & visio beatifica data est Christo in instanti incarnationis & per illam: Ergo non est data per modum præmii. Quarta quæstio, apud Becanum in ordine octava, est: *An Christus meruerit sibi gratiam habitualem?* Eiusdem hæc est farina cum præcedente: Et certum quoq; est, quod etiam hanc non meruerit, sed vi incarnationis habuerit. Adhuc ergo prior quæstionum classis, quibus quæsitum fuit, quid Christus sibi meruerit.

XXXVII. Sequitur altera, quæ ejusmodi quæstiones continet, quibus quæritur, *quid alius meruerit Christus.* Illi alii autem aut sunt *Angeli* aut *Homines.*

XXXVIII. Prima ergo quæstio, quæ apud Becanum in ordine nona est, sic formatur. *Quid Christus meruerit Angelus?* Propriè loquendo Christus Angelis nihil meruit: Probo: Quorum gratia Filius Dei non venit in carnem, illis etiam nihil meruit: Angelorum gratia Filius Dei non venit in carnem: Ergo Angelis etiam nihil meruit. Major per se est vera & certa. Minor probatur. *Quia puer Natus est NOBIS (hominibus) & Filius datus est NOBIS* Esa. 9. v. 6. Et angelus *Luc. 2. v. 10. 11.* annunciat pastoribus gaudium magnum, quod futurum est non angelis, sed toti populo: *Quia natus est (non nobis Angelis) sed vobis hodiè servator.* Et in suo Genethliaco canunt *vers. 14. εν αυθηρωπις ευδοξια.* Et *Heb. 2. v. 16.* Non Angelos assumpsit, sed semen Abrahamæ assumpsit &c.

XXXIX. Becanus distinguit inter gratiam & gloriam Angelorum & inter Mysteriorum revelationem. Et concedit, Christum non meruisse Angelis gratiam & gloriam: Quod gratia & gloria Angelorum fuerit independens à peccato Adami, & consequenter à Morte Christi: tum quod merita Christi supponant peccatum Adami, & dependant à carne passibili. Quas rationes recte intellectas concedere possumus, modo à carne passibili non excludatur virtus infinita divinæ naturæ.

XL. De posteriore porrò dicit ac concludit Becanus Christum meruisse Angelis aliquarum rerum seu mysteriorum revelationem.

XLI. Respondemus: Si vera illa Becani & Jesuitarum est opinio: sequitur rerum seu mysteriorum revelationem esse præmium actionum meritoriarum Christi: Si hoc, necessum est, ut intercedat pactum sive promissio, de hoc præmio, pro actionibus meritoriis Angelis tribuendo, facta. Quandoquidem hanc quoque conditionem in merito requirat Becanus supra *Questione 3. S. 2.* Ejusmodi verò pactum neque ex conditione & natura actionum meritoriarum Christi; neq; ex scripturâ, neque ex recta ratione probabit Becanus.

XLII. Cæterum de hominibus dicit Philosophus lib. a majore *Metaph. cap. 1.* *Omnis homo natura scire desiderat;* quando igitur aliquid novi intellectui humano objicitur, quo nova scientia gignitur, nunquid statuendum, illam objectionem esse actionem meritoriam merentem illam novam scientiam. Sane causa efficiens est, sed non meritoria. Sic quando per incarnationem, & subsequentem obedientiam, legi divinæ præstitam, nec non solutionem λύτης sufficientis pro peccatis mundi, mysteria in illis contenta, Angelis objiciuntur, qui in illa *ἁγνύσας* gestiunt *1. Petr. 1. v. 12.* idque per naturam suam, quæ rerum divinarum perfectam cognitionem desiderant; quis dicet illas actiones & passiones Christi meritorias esse, præmium id, nempe illorum mysteriorum cognitionem, promerentes? Non sanè: Quandoquidem actiones illæ & passiones Christi, horum mysteriorum notitiam Angelis objecerunt, non tamen meruerunt;

meruerunt; sed bonitate naturæ ducti mysteria illa summo cū desiderio ac diligentia sunt contemplati, & illorum notitiam sibi compararunt: perinde ut stant coram Deo, ejus faciem intuentes, non ex merito, sed ex bonitate naturæ, gratia DEI in creatione ipsis concessa ac concreata.

XLIII. Objicit verò Becanus §. 2. & sententiam suam confirmat hunc in modum. 2. *Posterius colligitur ex scriptura. Primò ex illo Esaia 63. vers. 1. Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ?* Hæc enim interrogatio facta est ab Angelis in die Ascensionis Christi, quæ usque ad illud tempus multa ignorabant circa Christi passionem, resurrectionem & ascensionem. Quibus ab ipso Christo responsum est: *Ego qui loquor Justitiam & propugnator sum, ad salvandum.* Et cum iterum interrogarent: *Quare ergo est rubrum indumentum tuum? & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Iterum responsum est: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.*

XLIV. Nolumus jam disputare de vero sensu verborum Esaia c. 63. 1. Sed tantum in consequentiam, quam ex illis deducit Jesuita, inquiremus. Argumentum Becani hoc est? *Quicumque multa ignorarunt circa Christi passionem, resurrectionem & ascensionem; ac propterea Christum in die ascensionis interrogarunt; atque ab ipso responsum acceperunt, illis Christus meruit aliquarum rerum sive mysteriorum revelationem: Atqui angeli multa ignorarunt circa Christi passionem, resurrectionem & ascensionem usque ad illud tempus, ac propterea Christum in die ascensionis interrogarunt, atque ab ipso responsum acceperunt: Ergo Angelis meruit Christus aliquarum rerum sive mysteriorum revelationem.*

XLV. Sanè, qui non intelligit Majoris consequentiam ridiculam ac stolidam esse, nihil intelligit. Quare totum argumentum non dignum est ulla responsione, Eiusdem momenti est

ti est subsequens, quando §. 3. ita pergit : *Secundo ex illo Eph. 3.8. Mibi data est gratia hec in gentibus Evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, ut innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus, per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei &c.* Hic per principatus & potestates intelliguntur Angeli Sancti, quibus per predicationem Apostolorum multa revelata sunt circa Christum, quæ antea nesciebant.

XLVI. Sic ergo vult argumentari Becanus : *Quibus per predicationem Apostolorum multa revelata sunt circa Christum : quæ antea nesciebant ; illis meruit Christus aliquam rerum sive mysteriorum revelationem : Atqui Angelus per predicationem Apostolorum multa revelata sunt circa Christum, quæ antea nesciebant : Ergo Angelus meruit Christus aliquam rerum sive mysteriorum revelationem.*

XLVII. Quis rursus concederet majorem propositionem ? Nemo sanè, nisi mente captus. Et dictum Pauli quod attinet, nihil in eo agitur de merito Christi ; sed duntaxat de sublimitate mysteriorum Evangelii, quæ tanta sint, ut antequam ex arcano Dei sinu consilioque in lucem proferrentur, ipsis etiam Angelis naturâ incognita verè fuerint. Quomodo autem inde meritum respectu Angelorum concludendum sit, sibi persuadeant Jesuitæ, ut velint, nobis nunquam probabunt.

XLVIII. Sequitur secunda hujus classis quæstio, quæ apud Becanum decima est : eamque sic format : *Quid Christus meruerit nobis ?* Et respondet : *Hic tria certa sunt 1. Meruisse nobis gratiam justificantem & remissionem peccatorum, Rom. 3. vers. 24. 2. Meruisse nobis omnia dona gratiæ, quæ sequuntur primam gratiam & remissionem peccatorum : Cujusmodi sunt auxilia gratiæ, merita bonorum operum, augmentum gratiæ, donum perseverantiæ, remissio peccatorum venialium, remissio pœnæ temporalis. 3. Meruisse nobis vitam æternam.*

XLIX. Tenendum est i. Hæc tria non esse adeo certa apud Pontificios, ut omnes per omnia consentiant. Nam Gregorius de Valentin. *disp. 1. q. 19. de operat. & meritis Christi puncto 4.* testatur, non desunt doctores, qui negant Christum promeruisse nobis ejusmodi dispositiones & antecedentia auxilia, ut Johannes Driedo lib. de capt. & Redemt. generis humani, tract. 2. c. 2. & Ruardus Tapperus in suo opere art. 6. Et addit se horum disputationes atque sententiam valde mirari.

L. Cæterum Christum nobis meruisse vitam æternam certum est ex allegatis à Becano dictis, *Johan. 10. v. 10. & Rom. 6, 23.* certum quoque est Christum meruisse nobis gratiam justifican-tem & remissionem peccatorum, *Rom. 3. vers. 24. Ephes. 1. vers. 7.* Si nimirum gratia illa justificans non intelligatur de gratia infusa, de Justitia inhæsi-ve in nobis producta, sed de favore & gratuita misericordia Dei, quæ in nobis propter meritum Christi applicatum & imputatum, est efficax, & propter hujus applicationem nos ab omnibus peccatis absolvit, in gratiam recipit, justos pronunciat, filios Dei & hæredes vitæ æternæ constituit. Verùm hoc sensu pontificios non accipere gratiam justifican-tem, infra videbimus in loco de Justificatione.

LI. Tandem pleraque dona gratiæ, quæ hîc recensentur, non dantur, ut sunt auxilia gratiæ Pontificiis dicta, merita bonorum operum, augmentum gratiæ, donum perseverantiæ &c. Verùm de his quoque & similibus suis agemus locis.

LII. Porrò subjungit Becanus quæstionem ii. sic formatam: *Quomodo merita Christi nobis applicentur?* Ad quæstionem hanc ferè nihil respondet, sed tantùm parerga tractat? nempe 1. quando nobis applicentur? 2. an omnibus applicentur? Et si non omnibus, unde hoc proveniat? 3. an iis, quibus applicantur, æqualiter applicentur? Et si inæqualiter, quæ sit causa inæqualitatis. De principali verò quæstione, quomodo vel per quod fiat applicatio meriti Christi propriè dicti, altum est silentium: nisi forsan dicere velis in prima conclusione responderi, qua dicit Becanus. §. 2. *Prima conclusio: Merita Christi tunc dicuntur*
C nobis

nobis applicari, quando aliquod donum gratiæ datur nobis ex illis meritis, sive datur in Sacramento sive extra Sacramentum. Item, sive sit donum fidei, spei, charitatis, quo disponimur ad justificationem: Sive sit ipsa justificatio, sive aliud donum subsequens justificationem.

LIII. Verùm neque hoc ipso ad quæstionem respondeatur. Aliud enim adhuc est explicare, quando donum gratiæ detur, & quomodo detur? Uti etiam non rectè statuunt de donis gratiæ sive de meritis propriè dictis; quæ propriè loquendo sunt perfecta Christi obedientia, Legi Dei præstita, Justitia, obedientiâ illâ nobis acquisita, remissio peccatorum, gratia Dei, & vita æterna. Hæc enim quando habemus, tum cætera omnia per se subsequuntur. Hæc autem in verbo & Sacramentis Deus homini offert; ut autem homo apprehendat, sibi que applicet, nullus alius modus ac medium est relictum, præter FIDEM IN CHRISTUM.

LIV. Ultima quæstio sic formatur: Quomodo nostra merita dependeant à meritis Christi? De hac quæstione non opus est, hæc ut multum agamus. Quia enim merita nostrorum bonorum operum nulla dantur: non tamen possunt dependere à meritis Christi. Quod enim non est, à nullo habet dependentiam. Ut hac de re in doctrina de Bonis operibus, pluribus agemus.

LV. Sequitur tandem apud Becanum caput XV. de satisfactione Christi. Ubi Jesuita tria quærit: 1. An satisfactio Christi sit pura satisfactio, an verò includat etiam rationem meriti? 2. An Christus condignè satisfecerit pro peccatis nostris? 3. An ex Justitia. 4. An ex rigore justitiæ?

LVI. Ad primam respondet §. 2. Satisfactionem Christi includere rationem meriti. Et porro notandum monet, duplicem esse satisfactionem: Vnam, quæ per se ipsam formaliter extinguit debitum; ut si homicida, qui ratione homicidii incurrit debitum mortis, re ipsa sustineat mortem. Aut si Titius, qui ratione furti, debet Petro restituere ablatam pecuniam, re ipsa restituat. Alteram, quæ per se ipsam non extinguit debitum, sed meretur vel impetrat aliquid, per quod extinguitur debitum. Et talem esse satisfactionem Christi concludit:

Cum

Cum Christus per suam satisfactionem meruerit nobis gratiam justificantem, per quam formaliter extinguatur peccatum. Priorem satisfactionem non includere rationem meriti, & ideo esse puram satisfactionem: Posteriolem includere rationem meriti, & ideo non esse puram satisfactionem. Atque tandem inde colligit §. 3. Passionem Christi, quam voluntarie sustinuit, simul esse meritoriam & satisfactoriam, respectu nostri. Meritoriam, quia per illam meruerit nobis gratiam justificantem. Satisfactoriam, quia mediante gratia justificante extinguit peccata nostra. Itaque immediate per se esse meritoriam, mediante vero gratia, satisfactoriam: Respectu vero Angelorum esse tantum meritoriam, non satisfactoriam. Cum in Christo & Angelis nullum fuerit peccatum, quod indigeret satisfactione.

LVII. Distinctionem satisfactionis suo loco relinquentes concedimus, quod Christi satisfactio includat rationem meriti, non vero eo modo, quem Jesuita urget. Sed quia, cum in forma Dei esset, non rapinam duxit, parem esse cum Deo, sed ipse se exinanivit forma servi sumpta. *Phil. 2. vers. 6. 7.* Sic ergo argumentamur. Quicumque cum Rex esset, & Dominus legis, nostri causa est servus factus & legi se subiecit, patri obediens factus ad mortem usque crucis; ut nos à servitute & maledictione legis liberaret; is nobis liberationem à lege, & ejus maledictione, Justitiamque & vitam æternam meruit: Atqui Christus cum Rex esset & Dominus legis nostri causa est servus factus & legi se subiecit, Patri obediens factus ad mortem usque crucis, ut nos à servitute & maledictione legis liberaret, *Gal. 4. vers. 5.* Ergo Christus nobis liberationem à lege & ejus maledictione, Justitiamque & vitam æternam meruit.

LIIIX. Major probatur: Nam qui liber est & fit servus pro alio, qui tertio est obligatus; ille servitute suâ meretur præmium laboris, quo satisfit creditori, & obligatio debitoris tollitur. Minor est certa per dicta allegata Scripturæ. Ergo & Conclusio.

LIX. Deinde Christum nobis meruisse gratiam justificantem, qua formaliter extinguatur in hac vita peccatum, nulla

nulla scriptura potest probari. Nam gratia illa justificans, Jesuita est Justitia habitualiter nobis inhærens, proindeque est nostra justitia. Atqui universa scriptura calmat nos non nostra, sed aliena justitia, nempe Christi, justificari, quatenus illa nobis non quidem inhæret, sed imputatur, quæque in hac vita non formaliter quidem tollit peccatum, sed efficit ut nobis imputetur.

LX. Tertio concedimus, quod passio Christi respectu nostri sit meritoria simul & satisfactoria. Meritoria verò non est, quia per illam nobis meruit gratiam justificantem, nobis qualitativè & habitualiter inhærentem, sed quia *λύτρον* meruit, quo satisfactum est Justitiæ Dei, quod *λύτρον* sunt labores, quos sustinuit in passione & morte totâque obedientiâ nostri causa. Atque propterea quoque passio illa satisfactoria est: non quod peccata nostra in hac vitâ mediante Justitiâ habituali extinguantur: sed quod Christus nostri loco præstitit illud, quod nos Justitiæ divinæ debebamus, & sic quæ non rapuit, exsolvit *Psalm. 69. v. 6.*

LXI. Tandem respectu ipsius Christi & Angelorum negamus passionem Christi vel meritoriam vel satisfactoriam esse, cum neque propter se, neque propter Angelos passus sit Christus; ut demonstravimus.

LXII. Cæterùm ad secundam quæstionem respondet Becanus §. 5. his verbis: *Christus condignè, perfectè, exactè, imò etiam abundè satisfecit pro nobis.* Et ex dicto ad Rom. 5. vers. 15. concludit, *Meritum & satisfactionem Christi potentiolem esse ad salvandum, quàm peccatum ad perdendum.*


LXIII. Si autem hoc verum est, ut est longè verissimum, ad quid merita nostrorum bonorum operum? Sic argumentamur: Quodcunque potentius est ad salvandum, quàm peccatum ad perdendum, proindeque perfectè, exactè, imò abundè pro nobis nostrisque delictis satisfecit, cum illo nostra merita stare & conjungi nequeunt: Atqui meritum & satisfactio Christi potentior est ad salvandum, quàm peccatum ad perdendum: Christusque perfectè, exactè, imò abundè
pro,

pro nobis nostrisque delictis satisfecit : Ergo cum merito & satisfactione Christi nostra merita stare & conjungi non possunt.

LXIV. Minor est ipsius Becani. Major est certa. Nam debitum solutum non debet denuò solvi : Et creditor, cui abundanter solutio facta & debitum sublatum est à sponsore, justè illud altera vice poscere & accipere ab illo, qui debebat, nullo modo potest. Si ergo Christus tanquam Sponsor noster, Justitiæ divinæ satisfecit cum abundantia, illa à nobis novam satisfactionem non desideret, neque accipiet ; faceret enim contra seipsam : Et injustè ageret.

LXV. Tertia quæstio otiosa est. Christum justum pro injustis passum esse ac satisfecisse scriptura ubique docet : Quare omnino Justitia illa in Christo habuit respectum ad Deum justum, cui hic justus satisfecit. Id verò ita simpliciter statuendum non est, quod ex suis Speculationibus deducit Becanus §. II. inquiens : *Tametsi Christus obtulerit Deo sufficientem, imò etiam abundantem satisfactionem pro humano genere : tamen Deus non fuit ex Justitia obligatus accipere illam satisfactionem, sed solum ex charitate vel gratuita promissione.* Deinde addit : *Christus secundum Humanitatem non est perfectè alter à Deo. Non enim est sui juris & potestatis, sed tota ipsius humanitas est sub jure, potestate & dominio Dei, multò magis, quam filius aut servus est sub potestate Patris aut Domini.*

LXVI. Ad primum respondemus, negari non posse à Jesuitis inter Justitiam & misericordiam Dei respectu hominis peccatoris temperamentum factum esse in Christo unico illo ac vero propitiatorio. Hoc jam supposito ; Quæritur in quo temperamentum illud consistat. Certè in eo, quod Deus dilexerit mundum sive peccatores, *Johan. 3. vers. 16.* cum adhuc ipsius inimici essent, *Rom. 5. vers. 10.* Desideravit ergò Deus motus misericordia sua hominem peccatorem recipere in gratiam : hoc autem ita simpliciter sine læsione justitiæ fieri non poterat. Justitia ergò, si misericordia suum sanctum desiderium implere vellet, requirebat satisfactionem. Hanc quia

Ψυλὸς ἀνθρώπου  præstare non potuit, Deus in plenitudine temporis misit filium suum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxii, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, Gal. 4. v. 6. Ex quo sequitur quod Justitiæ divinæ revera, & quidem sufficientissimè imò abundanter à Christo satisfactum sit.

LXVII. Quod ergo attinet otiosam illam malè feriatæ Jesuitæ quæstionem, *An Deus fuerit obligatus accipere illam satisfactionem*: Respondeo, quod obligatus fuerit à semetipso. Misericordiâ enim motus, ut diximus, hominem voluit recipere in gratiam: & quia ita voluit, cogitavit de satisfactione, qua debitum justitiæ persolveretur: hoc persoluto, sanè justitia non habuit amplius, quod accusaret vel damnaret. Interim non dicendum esse putamus, *Deum obligatum fuisse acceptare illam satisfactionem*. Si enim Deus hominem liberè in gratiam recipere, eique Mediatorem mittere non voluisset, quis ipsum cogere, & ad hoc obligare potuisset. Ut enim nemo Deum cogere, vel obligatum facere potuit, ut angelos lapsos, in gratiam reciperet, misso ipsis Mediatore; sic neque ad redimendum genus humanum per missionem & satisfactionem Filii, quisquam Deum cogere vel obligatum facere potuit. Quocirca quod hic factum est, Misericordiæ Dei unicè est adscribendum, nempe ut reciperet genus humanum in gratiam; salvâ tamen justitiâ, proindeque ita homines reciperentur in gratiam, ne Justitia negligeretur, sed potius ut & illi ex asse ac per omnia satisfieret.

LXVIII. Postquam verò decretum fuit, & temperamentum hoc Justitiæ & misericordiæ divinæ factum, ac in concilio Sacro sanctæ Trinitatis conclusum, ut misericordiæ & bonitati divinæ satisfieret, recipiendum esse genus humanum in gratiam, ne verò illâ in gratiam divinam receptione læderetur Justitia Dei, sed illi sufficiens λύτρον persolveretur, & abundè quoque satisfieret, mittendum esse filium Dei in mundū, ut assumpta humanitate, in illa satisfactionem abundantem Legi Dei suâ obedientiâ, passione & morte præstaret: Postquam hoc ita decretum fuit, inquam, quia semel voluit, nō potuit Justitia divina λύτρον illud

illud sufficientissimè à Mediatore solutum respuere, sed debuit
in illo quiescere, & ab accusatione & condemnatione illorum,
qui sibi vera fide meritum illud applicent, abstinere, & potius
propter Justitiam Christi applicatam ipsos justos pronunciare:
Non quod ab externâ quadam necessitate; sed quia à se ipsâ ad
illud fuit obligata: quippe quæ semel in satisfactionem alie-
nam consensit: consensit autem, quia in illâ non tantum nihil
se desiderare posse vidit, sed etiam quia sibi satisfactum esse
sensit.

LXIX. Motus ergo Deus misericordiâ à nullo coactus,
vel obligatus, liberè hominem in gratiam recipere voluit; ut-
que huic suæ voluntati satisfaceret, liberè filium suum in carnem
mittere ante jacta mundi fundamenta *Ephes. 1. vers. 5.* decrevit,
in decreto hoc Justitia Dei liberè quievit, & sibi ita satisfieri
posse liberè agnovit: Huic porrò decreto ut satisfaceret, Deus
filium liberè misit: Filius hanc legationem, totumque Media-
toris officium in se liberè suscepit, & pro totius mundi delictis
voluntariè ac liberè satisfecit.

LXX. Tota ergo actio hæc, qua redemptio Generis hu-
mani, & ejus in gratiam receptio est peracta, voluntaria ac libe-
ra fuit, nequaquam coacta, neque vel Deus, vel ejus sive mise-
ricordia sive justitia hæc ad quicquam fuit obligata.

LXXI. Etsi verò Deus non fuit obligatus accipere satis-
factionem pro humano genere, non tamen statuendum esse pu-
tamus, quasi satisfactio hæc planè excludat Justitiam Dei;
Quandoquidem, ut demonstravimus, profecta est non ex sola
Misericordia; sed ex temperamento Misericordiæ & Justitiæ
Dei. Quare illâ satisfactione non tantum factum & præstitum
est id, quod Deus motus misericordiâ, sed etiam quod motus
Justitiæ suâ voluit, & ut fieret decrevit.

LXXII. Omnino ergo justitia Dei illam satisfactionem
accepit, & quia voluit ac decrevit, & quia, postquam decrevit
illam accipere, seipsam obligavit. Aliàs enim videretur sequi,
satis-

Satisfactione & merito Christi Charitati quidem & gratuita
promissioni De esse satisfactum, nequaquam verò Justitiæ Dei:
cum Deus sic tantum operatus esse hic introducatur secundum
misericordiam, non etiam secundum Justitiam. Quod cum
merito & satisfactione Christi manifestò pugnat.

LXXIII. Christus enim est factus legi obnoxius, ut eos,
qui sub lege erant, redimeret, *Gal. 4. v. 5.* & est finis sive perfe-
ctio legis ad justitiam omni credenti, *Rom. 10. v. 4.* Sic *Rom. 5. v. 19.*
Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita
per obedientiam unius, justii constituuntur multi: Atqui inobedien-
tia Adami constabat transgressione legis: Ergo obedientia
Christi definienda est hoc loco ex vi ἀντιθέσεως per impletio-
nem legis, *Matth. 5. vers. 17.* *Non veni solvere legem, sed implere.*
Ergo Christus venit ut impleret legem, aut pro se tanquam de-
bitor illius, aut pro nobis: Atqui absurdissimum est statuere,
quod venit Christus ut legem impleret pro se, Quandoquidem
cum *ἄνθρωπος* obedire legi nequeat, sed *λόγος* in
humana natura & secundum illam obsequium hoc legi exsol-
vat, utique si statueretur, ipsum sui causâ legem implevisse,
concedendum foret, *λόγον*, adeoque Deum ipsum fuisse ser-
vum legis, eique subiectum ex debito. Hoc ergo falsum cum
sit & absurdissimum, relinquitur, quod venerit, ut pro nobis
legem impleret, & sic Justitiæ divinæ abundè satisfaceret.

LXXIV. Ut autem nequaquam dicendum est, Chri-
stum ex debito fuisse servum legis, eique subiectum: sic
quoque abstinendum ab hac phrasi & cogitationibus, *Deum*
ex debito acceptasse illam satisfactionem. Cum quicquid hic factum
& ordinatum est, id ex libera voluntate & profundissima mi-
sericordia ac benignitate erga genus humanum est profectum,
ut sufficienter demonstravimus.

Cæterum quod attinet secundum, dicimus, quod Christus
secundum humanam naturam non tantum non est perfectè al-
ter à Deo, sed omnino non est alter à Deo. Id vero non propter
additam à Becano rationem: quia humana natura non est sui
juris &c. Sed quia non est alia persona à Deo.

76. Deinde

LXXVI. Deinde neque, quod subsequitur, cum pietate & veritate consentit; *humanitatem Christi totam multò magis esse sub jure, potestate & Dominio Dei, quàm filius, aut servus est sub potestate patris aut Domini.* Pugnat enim contra pietatem. Nam sequitur inde necessariò humanam naturam aliam esse personam à Deo filio.

LXXVII. Nam ubi est tanta potestas ac jurisdictio unius in alterum, quia vincit potestatem & jurisdictionem Domini in servum: ibi oportet sint distinctæ personæ: quarum una mandat & imperat, altera obsequiũ & obedientiam præstat.

LXXVIII. Ut autem impium est & hæreticum ex Christo duas facere personas, sic quoq; falsissimum est, uti etiam à vero per se est alienissima hæc assertio: humanam naturam magis sub potestate Dei patris esse, atque est servus sub potestate Domini.

LXXIX. Sic argumentamur. Quodcunque per unionem hypostaticam 1. fit pars personæ Filii Dei. 2. elevatur in consortium Sacro sanctæ Trinitatis, 3. accipit divinam Majestatem. 4. est in formâ Dei; illud respectu illius unionis, & quatenus est in illa, non habet rationem servi ad Deum sive divinam naturam: Atqui Christi humana natura per unionem hypostaticam facta est pars personæ filii Dei. 2. elevata in consortium Sacro sanctæ Trinitatis. 3. accepit divinam Majestatem. 4. est in forma Dei: Ergo Christi humana natura respectu unionis hypostaticæ, & quatenus est in illa non habet rationem servi.

LXXX. Major probatur. Nam servus nullo modo pars Domini, sed tantum *ὄργανον* ejus est; non etiam elevatur in consortium, & thronum suæ dignitatis & Majestatis. Cum anima quidem & corpore rectè contulerunt patres, divinam & humanam naturam, nunquam verò cum potestate patris in filium, multò minus cum potestate Domini in servum

sive manicipium suum. Hactenus de
Christo.

D

Ad




Ad
Præstantissimum & litera-
tissimum Dn. RESPONDENTEM.

EPIGRAMMA.

Quid vagus Alcides fingentibus omnia,
Grajis
Indigetes inter dicitur esse Deos?
Scilicet evicto sunt parta tropæa Leone,
Et lernæa fera traditur Hydra neci,
Et quæ vana refert miracula Græcia? Fama est
Indè etiam Vatum carmine parta viro.
Quid tum? Falsa tamene est gloria, Tu magè vallū
Rumpere Fatorum, doctæ Magister, aves.
Opponis Stygio tanto fervore Tyranno
Scripta tua, ut majus non sit in orbe decus.
Collaudas meritum Christi super omnia, & astus
Evertit Latij Pæfulis ille Labor.
Indigetes inter, nî sint mendacia Achivum,
O RITTVAGERI, pars eris ampla Deos,
Gratavè Posteritas tua nomina scripta videbit,
Heïc ubi clara Chelys Pleiadesvè micant.


M. JOHANNES REDSLOVIUS
Juterboc.


HUc ades, ô nigri fidissima concio Ditis,
Lojolidum plebs vana, & vos, qui vertice rasi
Nomina sanctorum Monachorum quæritis, omnes
Invisos audite sonos, qui celsa Polorum
Tecta bonis cupitis, Diis gratia, cernere factis.
Nil agitis, nati scelerato semine Fratres,
Nil agitis, quia vestra suis convulsa ruinis
Fundamenta ruunt. Pietas simulata, malisq;
His palina Fides tot brumas fraudibus aucta.
Auricomum timet ecce diem, noctisq; latebras
Eligit, at vano conamine: terror obortus
In Scriptis nunquam vestro ejicietur ab ictu
Martini ductore, novus jam scrupulus angit
Papicolas, scalasq; Polo nunc amovet alto
Cana Fides,, Christi q; pio quæsitâ labore
Et gratis donata piis tot munera laudat,
Lojolidum & benefacta Chori sunt umbra bonorum,
Umbra, nec extremos ad se allecatura Gelonos.
At tu, macete tuis virtutibus, impia perge
O RITTWAGERI, sic interpellere scripta,
Et phlegethontiacis, illudas arte Catervis.

Quod vovet serio

ELIAS PEZOLDUS
Pbiliater.

Virtu-



*Virtutem posuere Dii sudore parandam,
Nec datur ad Musas currere lata via.
Hec quia difficilis, sed ubi alta cacumina montis
Viceris, illa animo postmodo dulcis erit.
Hec dum perpendis verissima, docte Magister,
Tu quoque conaris vincere scripta P A P Æ.
Gratulor ergo tibi magnos de pectore toto
Conatus, studiis omnia fausta precor.
Perge, En, Herculeos sic exantlare labores,
Hinc succos capies; hinc tibi surget honor.*

Hæc matrueli suo
adposuit

THOMAS SCHÖNE
Witeberg. Theol. Stud.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







DECIMAQUINTA
Confessionem,

inens
ARTICULI III.

ET SA-
TIONE

STI,
posita
miâ wittebergenfi,

IDE
RTINI, SS. Th.

acult. Theol. Seniore,
eposito, ac p.t.

Rectore,
NDENTE
RITHVVAGERO

mno Electorali.
orio Collegii veteris
Aprilis.

BERGÆ,
MONIS AVERBACH,
DC XXIX.